



Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Sacrilegij crimen tripliciter consideratur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

496 **Sacrilegium.**

et tutelæ , & quantum ad factum & quantum ad animum deliberatum , passiones nanque nisi ad deliberatum consensum vindictę inducant, veniales sunt: & similiter modicus excessus moderatae tutelæ venialis est.

Sacrilegij crimen tripliciter consideratur.

Sacrilegium peccatum est mortale ex suo genere: quia violationem, hoc est irreuerentiam seu iniuriam rei sacræ ponit. Est autem triplex sacrilegii species. Una, qua sit iniuria personæ sacræ ut sic. ut si clericus percutiatur , aut à seculari iudice puniatur: si contra votum personale (puta castitatis vel abstinen-
tiae) peccetur: & sic de similibus . Alia,qua sit iniuria loco sacro : ut si de loco sacro extrahatur ibi saluus, aut inde furto vel rapina res accipiatur, aut san-
guine vel semine humano voluntario locus sacer violetur.

Tertia species est qua sit iniuria rebus sanctis seu dicatis Deo. ita quod non solum iniuria qua sit la-
crimentis & vasis sacris & reliquiis sanctorū ac ima-
ginibus eorum, sed etiam qua sit rebus Ecclesiæ mo-
bilibus vel immobilibus, quia Deo dicatae sunt, dum
ad usum ministrorum Dei mancipatae sunt, sacrile-
gium committitur. Et si vis cognoscere quando pro-
priè committitur sacrilegium in omnibus eius specie-
bus, considera ad quid persona, locus, vel res sanctifi-
cata est & vide si contra illud ad quod sanctificata
dicitur actum est. Verbi gratia: ager Ecclesiæ est san-
ctificatus quod ad hoc quod est exceptus à secularibus
oneribus & iurisdictionibus. Committitur ergo sacri-
legium si grauetur seculari auctoritate &c. non autem
si quis ibi fornicetur : quia non est ab hoc exemptus
per hoc quod est Ecclesiæ, & similiter sacrilegium est
si quis in loco sacro fornicetur, non autem si quis ibi
detrahatur.

Satisfactio. 497

terrahāt: quia loci sanctitas est ad exemptionem ab effusione seminis humani, non autem à detractione. Similiter sacrilegium est si sacerdos fornicetur: quia sanctificatus est ad castitatem, non autem, si blasphemet: quia non est ad eius oppositum directe sanctificatus, & sic de similibus. Ex his nanque habes unde potes discernere quae sint sacrilegia ab his quae non sunt sacrilegia, etiam si sint peiora sacrilegio.

Ars vel officium sagittarij an & quando fit illicita.

SAgittarii ars seu officium, quamvis secundum se non minus liceat quam aliorum armorum usus, quia tamen ab Ecclesia prohibetur contra Christianos (ut patet in capitulo artem, extra de sagit.) sub pena excommunicationis inter prohibita computatur. Sed quia glossatur inhibitio haec, & restringitur ad bellum iniustum contra Christianos, promiscue pro nihilo haberi videtur canon iste, dum quilibet bellum suum ut iustum habet.

Satisfactio ut pars pœnitentiae diuersi- modè consideranda.

Satisfactio sacramentalis (quae scilicet est tercia pars sacramenti pœnitentiae, quum distinguitur in tres partes, scilicet constitutionem, confessionem, & satisfactiōnem) quae vulgariter vocatur pœnitentia iuncta à confessore, consideranda est primo, à confessore si imponenda est, & quæ, quanta, qualis & quando. Regulariter siquidem in omni confessione sacramentali imponenda est satisfactio aliqua: ut sacramentum pœnitentiae omnes materiales suas partes habeat. Dico autem regulariter: quoniam in tribus casibus omitti potest: Primus est, si constaret pœnitentem satisfactisse integrè: nam tunc nulla satisfactio

Hh 4

in iuncta